



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. VIII. Vtrum solus actus elicited à charitate sit meritorius de condigno
apud Deum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Optima
confirmatio.

fit aliquis talis actus sine auxilio gratiæ interdum fieri. Cum ergo hoc in opere meritorio non contingat, signum est, necessitatem auxilij provenire ex aliqua supernaturalitate operis ad meritum requisita. Unde confirmatur optime, quæ etiam in Angelis, & in homine in statu innocentie fuit necessarium auxilium gratiæ ad meritum, ut superius adducta probant: at vero in illis non erat necessarium auxilium gratiæ ad opera naturalia, vel naturales proprietates eorum: ergo signum est ad meritum esse necessariam aliquam conditionem supernaturalem actus, ratione cuius erat illis necessarium actuale auxilium gratiæ ad meritum.

9.
Probatur
3. ratione à
priori.

Ultimo addere possumus rationem à priori, quæ licet ex ordinatione diuina in Scripturis declarata, præcipue sumenda sit, tamen in ipsa rei natura habet congruitatem, & fundamentum: nam media debent esse in proportionata: meritum autem est vnum ex potissimis medijs ad consequendam beatitudinem supernaturalem, quia proprium meritum de condigno non est, nisi vitæ æternæ, vel gratiæ, sub gratia comprehendendo omnia auxilia, quæ ad vitam æternam conducunt, ut postea videbimus, & è contrario vitæ æternæ non datur, per se loquendo, his, qui mereri possunt, nisi mediante merito: ergo meritum semper esse debet aliquod opus eiusdem ordinis cum illo fine, ac proinde supernaturale. Quæ illatio confirmari potest: nam simili discursu probatum est, esse aliquos actus supernaturales, & dispositiones ad gratiam debere esse supernaturales, & ad primum auxilium gratiæ non posse dispositionem præcedere, quia deberet esse naturalis: ergo non minus certa debet in proposito censeretur. Et quidem in hoc sensu videtur loquutus D. Thomas q. 109. art. 5. ad merendum necessarium esse gratiam, & loquitur non solum de actu, sed etiam de habitu: utiturque ista ratione, quod actus perducens ad finem, debent esse fini proportionati, & simili modo loquitur qu. 114. art. 2. & consentire videtur Caietanus 1. p. q. 63. art. 6. in solut. ad 3. dub. 1. Consentit Vvaldes. tom. 3. de Sacramentalib. cap. 9. Osius in Confessio. cap. 66. Lindan. lib. 3. Panorplæ capit. 20. & alios in sequentibus capitibus referemus. Et in eis particularibus difficultatibus occurrentibus satisfacimus.

Confirmatio
illatio.

10.
Ad 1. arg.
in num. 1.

Argumenta vero in principio posita nunc breuiter expediemus. Ad primum concedimus iustos mereri de condigno per opera moraliter bona, sicut in Scripturis citatis significatur, dicimus tamen oportere, ut aliquo modo supernaturali fiant, quod in illis locis non negatur, & in alijs declarat, ut videmus, quis autem sit iste modus ex discursu sequenti capitulum constabit. Ad secundum, in quo ex demerito fit illatio ad meritum respondetur, ineptissimam esse illationem: nam homo suis viribus potest gratiam, & gloriam perdere: non tamen acquirere, quia longe facilius est deficere à bono, quam illud pericere, sicut etiam supra de omissione pura diximus, & si fortasse posset ad demeritum vitæ æternæ sufficere, non tamen ad meritum.

Ad secundum.

11.
Tractatur
questio in 3.
argumento
inclusa.
Pars negans
im merito
tribuitur
D. Thomæ.

Tertium argumentum petit quæstionem, quæ ab alijs late tractari solet, an in homine iusto possit dari actus indifferens in ratione meriti, id est, nec meritorius, nec demeritorius, esto non possit in indiuiduo dari actus indifferens in ratione meriti, vel mali. Aliqui enim partem negantem D. Thomæ attribunt in 1. 2. q. 18. art. 9. & q. 21. art. 4. Sed immerito, nam in priori loco non agit de merito, sed de bonitate, & malitia, nos autem iam supponimus hoc posteriori modo non dari actum indifferens. In altero vero loco in primis D. Thomas non tractat de merito de condigno, sed de merito secundum quandam generalem rationem, quæ potest in omni actu bono saluari, ut postea videbimus. Unde quod notandum est, D. Thomas non tractat specialiter de operibus iustorum, & discursus eius æque procedit in operibus

bonis peccatorum. Dico ergo, nullum esse inconueniens, dari in iusto opus bonum, ac proinde non demeritorium, nec meritorium de condigno, quia illa duo, scilicet meritum, & demeritum nec de se sunt immediate opposita, quia non includunt immediatam contradictionem, sed quali moralem oppositionem contrariam, in qua potest inueniri medium per carentiam vtriusque contrarij, nec potest assignari diuinum præceptum, vel ordinatio, vel aliud principium extrinsecum, ex quo talis necessitas, vel immediata oppositio oriatur. Et huic sententiæ fauet D. Thomas q. 114. art. 3. quatenus dicit opus bonum, quatenus est à libero arbitrio, esse meritorium tantum de congruo, nam inde recte colligimus, si in homine iusto sit opus bonum à solo libero arbitrio procedens, ad summum esse posse meritorium de congruo. Neque contra hoc obicit, quod obijciebatur, quia talis actus quatenus inuitis ad vitam æternam non videtur aliqua deformitate carere. Respondemus enim primo, deformitatem illam, si qua est, solum esse imperfectionem negatiuam non priuatiuam, & ideo non reddere actum malum, sed non perfectum. Secundo dicimus, licet talis actus non sit per se utilis ad vitam æternam, iuat saltem tanquam remouens prohibens, quia impedit peccatum, & hoc satis est, ut possit esse bonus, si obiectum, & circumstantias debitas habeat. Et hæc resolutio ex his, quæ postea de merito moralium actionum dicemus, magis confirmabitur.

CAPVT VIII.

Utrum solus actus elicitus à charitate sit meritorium de condigno apud Deum?

Diximus, opus meritorium non tantum bonum, sed etiam aliquo modo supernaturale esse debere, sequitur explicandum qualis esse debeat hæc bonitas, & quanta hæc supernaturalitas, quod præstabitur discurrendo per tres ordines virtutum. In primo ponimus solam charitatem, tanquam summum ordinem perfectam, & aliquo modo principium, & radicem meritorij meriti. In secundo ponimus virtutes, & dona per se infusa. In tertio reliquas virtutes morales inferioris ordinis, seu acquisitas. Et in primis circa actum charitatis supponimus tanquam perfectum, actus elicitus à charitate maxime esse per se, & intrinsece meritorios de condigno apud Deum, quia nulli sunt excellentiores actus, nec Deo gratiores, & ideo in Scriptura maxime promittuntur præmia diligentibus Deum, & Paulus dixit, Dominum redditurum coronam iustitiæ non solum ipsis, qui fidem seruauerat, sed etiam omnibus, qui diligunt aduentum eius 2. ad Timoth. 4. & ad Galat. 5. apud Deum tantum valere fidem, quæ per charitatem operatur, & 1. ad Corinth. 13. omnia charitati tribuit.

Solum posset in hoc puncto queri, an hoc esse verum de omni actu charitatis indifferenter: non enim Perpetui defuerunt qui aliquam limitationem in hoc posuerunt, vel ex parte durationis, vel ex parte intentionis, ad certum postulantes aliquem certum gradum, vel minimum incrementum terminum, infra quem actus, etiam si charitatis sit, vel durationis non sit meritorius. Ad eum utique modum quo aliorum virtutum vel contritionis sufficere ad obtinendam iusticiam, ad meritum, & remissionem peccati, nisi certam intentionem habeamus, beat, vel tanto tempore duret. Sed sicut illa sententia omnino falsa est, & hoc tempore improbabilis, ut in tomo 4. 3. partis disp. 4. sect. 4. & 5. ostendimus: ita in præsentem illud asserere esset ineptissimum, quia rationes ibi factæ hic etiam vim habent, & quia est limitatio quædam præter absolutum, & indefinitum modum loquendi Scripturæ sine villo probabili fundamento rationis, vel auctoritatis.

Et quidem de duratione neminem dixisse inuenimus, esse

esse necessarium, ut actus duret aliquo determinato tempore, etiam minimo. Aliqui tamen requirunt, ut duret per tempus saltem indefinitum: sed improbabilius, cum actus charitatis in vno instanti habeat totam suam perfectionem substantialem & intrinsecam, ut patet in Angelis & CHRISTO, qui in primo instanti suæ Conceptionis perfectissime meruit. Sed de hoc infra cap. 21.

4. Quod attinet ad intentionem actus, aliqui volunt actum charitatis debere esse intensiorem habitum, ad promerendum præmium essentiale: sed hoc refutatum est supra libro nono. Quare suppono ut certum, omnem actum elicitum à charitate, quantum est ex parte actus esse meritorium de condigno. Dixi quantum est ex parte actus (quod semper in sequentibus subintelligendum est) quia ea parte personæ est necessarius status gratiæ, & alia de quibus infra.

5. Hoc posito quæstio est de altera parte exclusiua: An, scilicet solus actus elicitus à Charitate sit de condigno meritorius præmij substantialis, id est, gratiæ sanctificantis & visionis Dei.

Prima opinio affirmat, solos actus elicitos à Charitate esse meritorios de condigno præmij substantialis: actus autem aliarum virtutum, licet impendantur à Charitate, non addere illis meritum præmij essentialis, sed accidentalis tantum. Hæc opinio videtur habere magnum fundamentum in Diuo Thoma prima part. quæstion. nonagesima quinta, articulo quarto, ubi sic ait. *Quantitas meriti ex duobus potest pensari, vno modo ex radice Charitatis, & gratiæ, & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in DEI fruitione: alio modo considerari potest quantitas meriti ex quantitate operis, quæ quidem est duplex, scilicet absoluta, & proportionalis, & tamen utraque respondet præmio accidentaliter, quod est gaudium de bono creato. Eandem opinionem videtur docere Bonaventura in 2. distinctione quadragesima, articulo secundo, quæstione tertia. Expresse hanc docet & defendit Bannez 2. quæstione vigesima quarta, articulo sexto, dub. 5.*

6. Fundatur præcipue in aliquibus locis Scripturæ, in quibus soli Charitati, seu dilectioni Dei videtur promitti præmium essentiale: Ioannis decimo quarto, vigesimo primo, & Rom. decimo tertio, decimo, & primæ Corinthior. decimo tertio, tribuit Charitati officia omnium virtutum: quia ab illa habent, quod sint meritoria, & sine illa nihil valent, ideo ad Galat. quinto, inquit: *In CHRISTO IESU neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Quod confirmatur ex illo, primæ Corinthior. secundo. Oculis non vidit, neque auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ preparauit Deus diligentibus se: ergo præmium essentiale soli amori præparatur, imo & illi soli promittitur Iacob. primo, duodecimo. Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hinc etiam Paulus dixisse videtur Roman. quinto. Spes (quæ principaliter est de essentiali præmio) non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

7. Secundo hæc opinio probatur ex Patribus, qui ubique tribuunt Charitati rationem meriti, & iustitiæ nostræ apud DEVM: Augustinus libr. de Naturis & grat. capite quadragesimo secundo. Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia, & capite septuagesimo. Charitas inchoata, inchoata iustitia est, charitas prouecta, prouecta iustitia est, charitas magna, magna iustitia est, charitas perfecta, perfecta iustitia est, sed charitas de corde puro conscientia bona, & fide non ficta. Ex quo loco potest formari tale argumentum: Essentiale præmium respondet nostræ iustitiæ apud DEVM: sed hæc iustitia est sola charitas, ergo solum opus proprium charitatis est opus iustitiæ apud DEVM ad essentialia præmia promerendum. Et ideo idem Augustinus libro decimo quinto de Trinitate capite

decimo octauo dixit, solam Charitatem diuidere inter filios Dei & perditionis, & Prosper libro tertio de vitæ contemplatione capite decimo quarto, & decimo quinto, charitati videtur tribuere omnem rationem & valorem meritorum, & Gregorius homilia septima in Euangel. Charitatem omnium meritorum radicem esse dicit.

Tertio hæc opinio potest suaderi ex intrinseca natura meriti de condigno: Nam ut opus sit meritum de condigno, necesse est, ut sit ita proportionatum præmio, ut aliquam æqualitatem ad illud habere videatur: sed solus amor Dei ex Charitate habet talem proportionem cum visione Beatifica, quæ est essentialia præmium nostrorum meritorum, ergo Mai. patet. Minor declaratur, primo, quia sicut Visio Beatifica perfecte vnit animam DEO in termino, ita Charitas in viâ. Secundo sicut præmium visionis Beatificæ est consecutio Dei, prout est in secundo. scilicet sola dilectio est tendentia in eundem DEVM, prout est in se, ergo illa sola habet dictam proportionem. Tertio, sicut in Beatitudine sola visio seu fructio est quasi substantia, in qua etiam amor includitur: reliquæ virtutes sunt quasi accidentia: ita amor in viâ est quasi substantialis vita animæ cui actus reliquarum accidunt.

Quarto in omnibus operibus huius vitæ inuenitur magna imperfectio & inæqualitas ad præmium Beatitudinis, ergo optima proportio est, ut perfectissimo actui viâ respondeat optimum præmium patriæ, cætera inferioribus actibus. Denique augmentum præmij essentialis correspondet augmento gratiæ, & consequenter augmento charitatis, sed charitas non augetur, nisi suis proprijs actibus, ergo etiam præmium essentialia non correspondet, nisi actibus charitatis, non autem actibus aliarum virtutum.

Hæc tamen opinio nullo modo probanda, aut toleranda mihi videtur, quia videtur parum consentanea Scripturis, & communi sensui Ecclesiæ, primæ opinionis & Patrum, nimiumque coarctat merita Sancto-

Dico ergo, iustos mereri præmium substantiale non solum per actus elicitos à charitate, sed etiam per actus aliarum virtutum. Hæc assertio, quam attigi in Relectione de reuiuisc. merito. disputatione secunda, sectione vltima, numero quinquagesimo quarto, est communis Theologorum infra citandorum. Probatur. Primo ex Matthæi vigesimo quinto. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, esurui enim, & destitui mihi manducare, &c. Vbi per Regnum non intelligitur præmium accidentale, ut patet ex similibus locis Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, & illud, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matthæi 11. 12. sed essentialia, quod Christus dabit propter opera misericordie. Idem probatur ex ijs locis, in quibus Deus dicitur unicuique daturus mercedem secundum opera sua, Matthæi decimo sexto, Rom. secundo, primæ Corin. 3. & 2. Corin. 9. Psal. sexagesimo primo, Ecclesiæ. decimo sexto. Confirmatur ex Matth. decimo nono, ubi interroganti, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, respondit Christus. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & mox enumerat mandata moralia. Et i. Timoth. 6. vers. 17. 18. 19. & Rom. decimo tertio. Beneficentie (inquit) & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus, at Deus non est præmium accidentale, sed essentialia, ergo.**

Probatur secundo ex Concilio Tridentino sessio. 10. ne sexta, capite decimo sexto, ubi absolute dicit: *vi tam æternam esse mercedem ex Dei promissione bonis operibus 2. vehementer promissam & meritis fideliter reddendam, ubi per vitam æternam intelligitur præmium essentialia, hoc enim est propria hæreditas filiorum Dei, & dicit Conc. esse mercedem*

8. Ex ratione.

Probatur minor primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

9.1

Censura sententia Scripturis, & communi sensui Ecclesiæ, primæ opinionis & Patrum, nimiumque coarctat merita Sancto-

2. Opinio negativa, quam & vera.

Probatur 1. plusquam probabiliter ex Scriptura.

10.

Probatur 2. vehementer ex Trid.

cedem non solius charitatis, sed bonorum operum, quæ ad alias etiam virtutes pertinent. Vnde id confirmat ex illo 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Et infra expresse dicit, illis operibus bonis in Deo factis, quibus diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfacimus, promereri iustos vitam æternam. At vero præceptis diuinis non satisfacimus per solum actum charitatis, sed necessarii sunt etiam aliarum virtutum actus: ergo illis etiam actibus vere, & proprie meremur vitam æternam. Ac denique in can. 32. absolute definit, iustificationem bonis operibus ex gratia factis vere mereri gratiæ augmentum, vitam æternam, & augmentum gloriæ, vbi nec generalius de bonis operibus, nec clarius de essentiali præmio loqui potuit.

11.
Probatur 3.
rationibus.
Prima.

Tertio argumentor ratione, quia in primis cum charitas ipsa duos habeat principales actus, scilicet dilectionem Dei, & proximi, interrogo, an sola dilectio Dei sit meritoria de condigno substantialis præmii, vel etiam dilectio proximi? Primum profecto credibile non est: nam cum Paulus dicat ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implebit,* & alibi dicat, *Factores legis iustificari apud Deum, quomodo credibile est, hanc dilectionem non esse meritoriam gratiæ, & gloriæ essentialis?* Et hoc confirmat, quod ibidem Paulus subdit, quod plenitudo legis est dilectio. & quod ait Ioannes. 1. canonic. capit. 1. *Qui diligit fratrem suum in lumine manet,* & cap. 3. *Nos scimus quoniam translatus sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Denique ille actus est elicited à charitate, & virtute continet dilectionem Dei, cur ergo non erit meritorius illius præmii? Si autem primum admittatur, scilicet, actum dilectionis proximi habere proprium, & (vt sic dicam) substantiale meritum distinctum à merito amoris Dei: hinc in primis enervantur fere omnia fundamenta prioris sententiæ, quia amor proximi non est tam perfectus actus, sicut amor Dei, neque attingit directè, & tanquam obiectum, quod, ipsum finem vltimum, & ideo non est super omnia, sicut dilectio Dei, ergo non est de ratione meriti præmii essentialis, quod sit perfectissimus actus, nec quod directè tendat in ipsum Deum, qui est obiectum beatificum. Ac denique licet illa dilectio proximi eliciatur à charitate, quæ est virtus Theologica, nihilominus in se non est actus proprius, & formaliter theologicus, sed moralis, quatenus proxime, ac directè versatur circa materiam creatam, ergo eadem ratione poterunt alii actus morales esse meritorii, cum etiam fieri possint propter Deum, & multi in individuo, & fortasse etiam in specie possint esse meliores, vt actus, religionis, vel poenitentia.

12.
Confirmatur.

Et confirmatur, quia si amor proximi meritorius est, etiam actus misericordiæ, & beneficentiæ proximorum erunt meritorii essentialis præmii, quia virtualiter continent ipsum amorem, quantum ordinariæ sine proprio actu interno amoris proximi elicito à charitate exercentur, sed immediate per actum elicited misericordiæ, quæ vel non minus, vel satis, superque placet Deo, & est quædam dilectio in opere, & veritate. Et absolute id probari potest, quia his operibus, vt opera misericordiæ sunt, promittitur in Scriptura merces æternæ vitæ, vt vidimus. Ac denique confirmatur, quia alias in omnibus operibus vitæ actiue nullum esset substantiale meritum, nec per ea, vt talia sunt augeretur veritas iustitia, & sanctitas apud Deum. Consequens autem Ecclesiæ sensum, parumque homines iustos ad huius vitæ exercitia allicit, contrarium autem legimus fecisse Christum, cum dicebat. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* & Paulus cum aiebat. *Fidem seruauit, ideo reposita est mihi corona iustitiæ, non intellexit esse sibi reddendam solum quia dilexit Deum contemplando,*

& orando, sed etiam quia munus suum impleuit euangelizando, & pro salute proximorum laborando. De quare videri potest Bernardus lib. de Grat. & lib. arbit. circa finem, & Augustinus tract. 51. in Ioan. vbi explicat quid sit, & quanti meriti sit ministrare Christo in obsequiis proximorum. Et alij Patres contra Iovinianum docentes, pro meritorum multitudine maius præmii essentialis retribui. Vt videlicet in Hieronym. libr. 2. contra Iovinian. & Augustino libr. de Sancta Virginit. per multa capita. & Gregor. libr. 4. Moral. 2. vlt. & alijs, quos retuli dicto lib. 2. de visione Dei cap. 20. quibus addi possunt verba Prosperi lib. 2. de Vocat. gent. vbi licet aliud agens, inquit. *Implenda voluntatis Dei ita est præordinatus effectus, vt per laborem operum per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona gesserint non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita c. nonentur.* Addo denique sententiam libri de Ecclesiast. dogmatib. *Abstinentibus à vino, vel carnibus pro amore castigandi corporis nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Ioviniani est.*

Nec satisfacet, qui dixerit, opera vitæ actiue fieri debere ex amore Dei, & inde habere præmii essentialis, hoc inquam, non satisfacit, nam ex hoc ipsa loquitur præmii essentialis non augeri propter talia opera, quod certe nimium auerteret voluntates ab usu, & exercitio illorum, cum etiam quia potius talia opera impedirent augmentum illius præmii, quia moraliter efficiunt, vt actus interiores, & elicit amoris Dei nec tam frequentes sint, nec tam intensi: tum etiam quia sequeretur, non esse maioris meriti, per se loquendo, dare magnam quantitatem in elemosynam, quam parvam, neque esset magis meritorium orare quam legere, v. g. ex honesto motu, & sic de alijs actibus moralibus perfectionis, vel minus perfectæ virtutis. Sequela probatur, quia ista omnia possunt fieri ex æquali amore Dei actuali, quod enim contingat meli' opus morale ex maiori amore Dei procedere, neque est necessarium, aut per se requisitum, vt per se constet, neque etiam est ordinarium, aut nimium frequens, vt quidam fingunt. Nam sæpe contingit, hos actus fieri sine actuali amore Dei. Vnde eodem modo continget fieri cum æquali amore actuali, vel etiam in virtute vnus, & eiusdem actus præcedentis. Consequens autem multum repugnat Scripturis allegatis, immo quidam modernus Thomista dixit, esse contra loca expressa Scripturæ, & allegat, quæ adduximus, & nonnulla alia, quæ postea nos poteramus, quia pertinent ad particulares virtutes, in quibus hæc veritas magis probabitur.

Ratio autem à priori assertio est, quia neque ex natura rei, neque ex aliqua Dei lege ostendi potest, hanc conditionem, scilicet, quod actus sit elicited à charitate, esse necessariam ad meritum de condigno ipsius beatitudinis essentialis, & alioquin actibus aliarum virtutum inueniri possunt omnes alie conditiones necessariæ ad meritum, vt per se notum est: ergo. Maior quoad posteriorem partem de lege Dei satis probatur, quia nullibi ostendi potest: & efficacius, quia contraria lex in Scripturis allegatis inuenitur. Quoad alteram vero partem probatur, quia actus aliarum virtutum, licet immediate non attingant Deum ipsum, cedunt in gloriam eius, & sunt media vltimo fini consequendo proportionata, vt in capitulis sequentibus magis declarabitur. Et veritas pars respondendo ad fundamenta contrariæ sententiæ fiet euidentior.

Testimonia ergo Scripturæ primo loco allegata, probant quidem, dilectioni charitatis promitti essentialis præmii, non tamen probant, illi soli promitti. Item aliqua ex illis probant, sine charitate nullum esse meritum de condigno, & esse aliquo modo radicem totius meriti, & ad summum aliquam relationem charitatis ad huiusmodi meritum postulari, inde tamen non sequitur, totum essentialis meritum in solo

CAPVT IX.

*Verum actus elicit i a virtutibus infusis sint meritorij
de condigno sine peculiari relatione
charitatis?*

EX dictis habemus, hos actus, cum studiose fiant, & liberi sint, de se aptos esse ad meritum de condigno ex parte suorum obiectorum, & bonitatis, tituli huiusquam ab illis sumuntur: superest nunc explicandum an ex parte ultimi finis aliquam aliam bonitatem, vel moralem conditionem ad hoc meritum requirant, & qualis relatio propria est charitatis, quæ in ipsum ultimum finem propter se tendit, ideo an sit necessaria talis relatio, vel qualis sufficiat? inquirimus. Vt autem punctum difficultatis attingamus, præmittenda est communis distinctio Theologorum de triplici relatione actus à charitate, scilicet habituali, actuali & virtuali. Prima consistit in sola existentia habitus in supposito, quando aliud bonum opus operatur: actualis consistit in actuali motione, quæ fit per actum charitatis actu existentem, & motuentem ad actum alterius virtutis, quem in finem suum ordinat: tertia, seu virtualis diuersis modis explicatur. Quidam putant sufficere, quod actus charitatis præcesserit, quo homo se, & omnia opera sua refert in finem charitatis, etiam si multo antea elicitus fuerit, ita venet eius memoria tunc occurrat, neque alia virtus motuens ad operandum ex illo sit relicta, dummodo actus ille præcedens retractatus non sit, quia hoc satis esse putant, ut virtus eius moraliter semper maneat. Alij vero existimant, hoc non satis esse ad relationem virtuale, sed necessarium præcedere, ut præcedens actus, mediante aliquo alio actu, qui nunc sit, influat aliquo modo in præsentem actum. Et sine dubio ad propriam relationem, seu intentionem virtuale hoc necessarium est, ut in termino 3. partis, disputa. decima tertia, sect. 3. latius dixi, tractando de intentione virtuali in ministro Sacramenti requisita: nam ad actionem humanam, saltem talis intentio necessaria est, & ideo in hac significatione semper illa voce utemur. Tamen quia altera relatio per actum vniuersalem omnino præteritum aliquis relatio est maior, quam mere habitualis, & minor, quam actualis, vel virtualis possumus addere quartum membrum, & ut habeamus terminos, quibus sine æquiuocatione utamur, vocemus illam relationem obiectiuam, quia de illa est specialis controuersia. Ac denique addimus quintum membrum relationis, quam vocare etiam solent virtuale, nos autem supra li. i. ut haberemus distincta nomina innatam, vel quasi connaturalem actui vocauimus. Et in præsentem est illa, quæ non nascitur ex præcedenti actu, sed ex necessaria connexion inter aliquam virtutem cum virtute charitatis, & consistit in naturali inclinatione, seu pondere alicuius actus alterius virtutis à charitate in finem ipsius charitatis. Ad eum modum res naturales dicuntur in suis actionibus intendere assimilationem Dei.

Hæc distinctio supposita, de prima relatione nulla mouetur quæstio, nunc enim supponimus, nullum actum bonum esse meritorium de condigno, nisi persona sit gratia, quod infra probandum est. Vnde fit, etiam esse necessarium habitum charitatis in persona operante, ut actus sit meritorius de condigno, etiam si sit fidei, vel qualiscunque alterius virtutis infuse. Ergo hæc relatio habitualis, ut necessaria supponenda est, si tamen relatio ipsius actus in talem finem appellanda est. Aliqui enim negant illam esse vocandam relationem actus, quia per habitum sola refertur persona, seu potentia, non vero actus, in quem habitus non influit, sed tantum cum illo concomitanter se habet. Alij aliqualem relationem illam esse

Enodario
tituli huius
capitis.

Relatio tri-
plex actus
charitatis
communi-
ter tradita.

Simile quip-
piam habe-
tur to. 4. de
Panis disp.
22 sectio. 5.

Additur &
quarta.

Et quinta.

in solo actu charitatis formaliter inueniri. Vnde Diuus Thomas 1. 2. qu. 114. artic. 4. inde solum intulit, quod meritorium vite æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus à charitate imperantur. Neque plus probant testimonia Patrum secundo loco adducta. Charitas enim dicitur esse ipsa iustitia, quasi formalis, & essentialis, cum illa gratiam comprehendendo, & in suo gradu, fidem, & spem, ut in libr. 8. explicauimus, non est autem necesse, ut omnia opera iustitiæ, & meritoria de condigno immediate procedant ab essentiali, seu principali iustitia, sed satis est, ut ab alijs facultatibus eius eliciantur, ut in sequenti cap. magis explicabimus. Neq. Prosper, aut Bernard. aliud dixerunt, nisi charitatem esse necessariam ad meritum, & esse radicem eius, quæ vera sunt, etiam si non sit charitas proximum principium omnium actuum, quibus de condigno meremur.

Ad rationem tertio loco positam respondetur, concedendo esse necessariam proportionem ad meritum de condigno, & negando, hanc non inueniri in actibus aliarum virtutum, sed in solo actu charitatis. Quia hæc proportio non consistit in æqualitate perfectionis: nam hæc etiam inter actum charitatis, & visionis beatæ fortasse non inuenitur, neque etiam ad sufficientem proportionem necessarium est, ut actus meriti directe, & immediate attingat Deum ipsum, qui est substantiale præmium meritum per visionem sui, seu comprehensionem obtinendum, quia hoc spectat ad quandam æqualitatem rei ad rem, quæ necessaria non est. Vnde neque in amore proximi, neque in voluntate colendi Deum, neque in similibus actibus, qui ad meritum sufficientissimi sunt, inuenitur. Sufficit ergo, quod opus bonum sit, & in Deum, ut supernaturalem finem tendat: nam hæc proportio est quasi viæ ad terminum, vel mediæ ad finem, actus autem bonus eo ipso, quod ad illum terminum tendit, tanquam ad finem ultimum, est proportionatum medium, & quasi via recta ad illum. Et ita responsum est ad primam, & secundam probationem. Ad tertiam respondetur nihil referre proportionem illam. Præsertim quia omnes virtutes operantur, etiam charitas in via, comparantur ad gratiam, tanquam accidentia intrinseca, seu proprietates ad essentialia, & ita omnia habent cum gratia proportionem, ut illi ad consequendam visionem beatam, per quam consummatur, deferuiant. Præsertim quia etiam in beatitudine amor est quasi proprietas consequens visionem, & nihilominus illam in via meretur. Ad do, accidentia, licet perfectantur sufficiant ad similia accidentia, producenda, tñ vt coniuncta forme substantiali esse posse apta instrumenta ad producendā substantiā: ergo seruata aliqua proportione, licet actus aliarum virtutum per se spectati solum valerent ad præmia accidentalitā (quod fortasse voluit Diuus Thomas in priori loco citato) nihilominus vt coniuncti gratiæ, & charitati erunt satis apti ad substantiale meritum. In quarta probatione si sermo sit de imperfectione priuatiua, falsum est assumptum, quia in actibus aliarum virtutum nulla talis imperfectio inuenitur. Si vero sit sermo de imperfectione negatiua: nulla est illatio, quia iam dictum est, non esse necessariam æqualitatem perfectionis, inter actus præmij, & meriti de condigno. Denique in vltima probatione falsum assumitur: nam gratia per omnes suos actus augetur, & consequenter omnes eius virtutes, vt in libr. 9. tractatum reliquimus.

Pars 3.

pp

esse